

3^o Per *res sacras* omnia intelliguntur objecta à personis et locis sacris distincta, quæ cultui divino consecrantur, ut linteamina et vasa sacra. Certum est his rebus abuti ad turpes actus exercendos, v. g., aquam benedictam, Oleum sanctum vel sacram Eucharistiam ad superstitiones luxuriam spectantes sumere, horrendum esse sacrilegium.

Quidam theologi dixerunt sacerdotem divinam Eucharistiam super se gestantem sacrilegium non committere, si internè aut externè adversus castitatem, non in contemptum sacramenti, peccet. Verùm alii communissimè dicunt illum sacrilegii esse reum; nam sancta sanctè tractanda sunt: porrò sacerdos, in eo casu, non sanctè, sed horrendè Sanctum sanctorum tractat; ergo, etc.

Sic pariter qui sacramenta ministrans, missam celebrans, vel sacris vestibus ad eam celebrandam paratus, aut ab altari modò recedens, voluntariè se polluit aut in venereis delectatur, à duplici sacrilegio excusari non potest. *S. Ligorius, l. 3, n^o 463.*

P. *Concina* ulterius progreditur et contendit, adversus multos, eum qui reliquias sanctorum gestat, sacrilegii reum esse si exterius vel interiorius contra castitatem delinquat; nam, inquit, eadem est ratio pro reliquiis ac pro sacrâ Eucharistiâ, cum eâ differentiâ, quòd unum sacrilegium altero sit gravius.

Plures adhuc volunt peccatum carnale malitiam sacrilegii ex circumstantiâ diei dominicæ aut festi induere: at plerique hanc speciem

negant aut dicunt eam non esse mortalem, ideòque non necessario declarandam; quia finis et mens præcepti, scilicet omnimoda sanctificatio diei dominicæ, non cadunt sub præcepto.

APPENDIX.

De clericis ad turpia sollicitantibus.

Omnes qui gloriam Dei amant, et honore Ecclesiæ commoventur, præ dolore expavescere deberent audiendo esse clericos, imò et sacerdotes servitio altaris mancipatos, qui indignè reptant in terrâ; qui tremenda mysteria celebrant agnumque immaculatum manibus tractant, dum impuris ardent flammis et turpibus maculis fœdantur; qui saluti animarum præpositi, eas crudeliter necant, ipsummet officium divinitus sibi commissum in earum perniciem convertendo. Quis tantam abominationem stantem in loco sancto videns, ab horrore temperabit, et pro viribus eam extirpare non tentabit?

Plures summi Pontifices jusserunt ut quilibet poenitentes confessarios ad inhonesta sollicitantes inquisitoribus, vel episcopis locorum denuntiarent: sic Paulus IV, 16 aprilis 1561, Pius IV, 6 aprilis 1564, Clemens VIII, 3 decembris 1592, et Paulus V, 1608, pro regnis Hispaniarum, Portugaliæ et Algarbiorum.

Gregorius XV has dispositiones, suâ constitutione diei 30 augusti 1622, ad universos Christi fideles extendit et ampliavit: constituit

enim denunciandos esse sacerdotes, qui sive in confessione, sive in loco audiendis confessionibus destinato, confessionem audientes aut simulantes se audire, ad turpia sollicitaverint, sermones inhonestos habuerint, etc., præcipitque ut confessarii monerent pœnitentes de obligatione denuntiationem faciendi.

Alexander VII decrevit, die 8 julii 1660, pœnitentem ad denuntiationem teneri, etiamsi *nulla fraterna correctio, vel alia monitio præmissa fuerit*, et die 24 septembris 1665, duas condemnavit propositiones in quibus doctrina opposita tradebatur. Sacra congregatio sancti Officii eodem sensu respondit, annis 1707 et 1727.

Deniquè Bened. XIV, constitutione, *Sacramentum Pœnitentiæ*, diei 1 junii 1741, statuit, 1º eos omnes qui in confessione, vel occasione confessionis, verbis, signis, nutibus, tactu, scripturâ tunc vel post legendâ, ad turpia sollicitaverint, aut inhonestos sermones habuerint, denunciandos esse et pro circumstantiis puniendos.

2º Monendos esse sacerdotes ad audiendas confessiones deputatos, se teneri exigere à pœnitentibus, qui ad turpia aliquo modo sollicitati fuerint, ut sollicitantes denuntient.

3º Vetat ne ullus innocentes confessarios tanquàm sollicitantes denuntiet, aut ab aliis denunciandos procuret : quòd si hujusmodi execrabile flagitium committatur, decernit illud sibi et successoribus suis reservatum mansurum esse, excepto solo mortis articulo.

4º Declarat sacerdotes nefando istiusmodi crimine inquinatos, complices numquàm, nec etiam tempore Jubilæi, absolvere posse, excepto iterùm mortis articulo, ac deficiente alio sacerdote, et si id facere ausi fuerint, majorem excommunicationem, Sedi Apostolicæ reservatam, incururos.

Varie constitutiones illæ pontificiæ in Galliis non fuerunt publicatæ : idcirco, seclis specialibus dioceseon statutis, strictè non obligant.

In diocesi nostrâ, quilibet sacerdos conscius alicujus peccati contra castitatem exterius commissi, sive concubitûs, sive tactûs impudici, sive osculi utrinquè libidinosi, complicem à dicto peccato nunquàm absolvere potest, excepto solo mortis articulo, si alius sacerdos approbatus moraliter accersiri nequeat : qui contra hoc interdictum eum absolvere attentaret, ipso facto suspensus maneret, et absolutio data nulla foret.

Si interiùs tantùm peccasset, aut si pœnitens libidini ejus non consensisset, jurisdictionem in eum non amisisset, quamvis maxime tunc expediret ut eum deinceps non audiret, propter periculum. Contrà verò eum à peccato luxuriæ secum ante sacerdotium suum commisso absolvere non posset.

Enorme peccatum istud non est reservatum respectu aliorum confessariorum pro audiendis promiscuè confessionibus approbatorum; hi ergo absolvere possunt, tum complicem, tum ipsum sacrilegum sacerdotem rectè dispositum,

Queritur an detur obligatio naturalis sacerdotem corruptum et corruptorem denunciandi?

R. Sedulo cavendum est ne fides temere adhibeatur mulierculis sacerdotes, in ipsomet tribunali sacro, accusantibus: non semel enim visæ sunt quæ ex invidiâ, odio, zelotypiâ aliove motivo perverso, clericos prorsus innocentes sic atrociter calumniatæ fuerint. Igitur omnes circumstantiæ et personæ, et accusationis, et criminis accusati maturo examine primùm pensandæ sunt, et vetare oportet ne complex ipsimet confessario manifestetur.

At, si, omnibus pondere Sanctuarii libratis, reum esse sacerdotem constet, considerandum est, an de culpis jam diù præteritis, vel semel aut iterum commissis et expiatis agatur, an verò de consuetudine hoc peccati genus committendi, aut ad illud sollicitandi, vel de aliquâ culpâ hominem perditum ostendente. In priori casu, non præscribenda est denuntiatio, quia cum supponatur, aut meritò præsumatur malum ampliùs non existere, nec extitutum, non datur ratio sufficiens famam sacerdotis lædendi.

Sola igitur difficultas est an, in posteriori casu, naturalis existat obligatio denuntiationem faciendi.

PROPOSITIO.

Qui scit sacerdotem aliumve clericum turpiter vivere aut ad turpia sollicitare, tenetur lege naturali eum episcopo aut vicario ejus generali denunciare.

PROB. Omnes theologi docent, ubi de correctione fraternâ tractant, crimen occultum supe-

riori denunciandum esse tum ad emendationem delinquentis, tum ad avertendum malum communitati aut privatis imminens: sic denunciandi sunt, etiam absque monitione præviâ, hæretici errorem spargentes, fures, latrones, patriæ proditores, venefici, pharmacopolæ venena cuilibet obvio vendentes, monetæ falsificatores, juvenum et puellarum corruptores, mortem alicui privato machinantes, etc. Porro dubitari non potest quin ex agendi ratione clerici, turpibus dediti, gravissima oriantur mala in ruinam delinquentis, in perniciem animarum et in religionis dedecus vergentia; ergo, etc.

Undè Ecclesia, ante ordinationem, fidelibus astantibus per Pontificem mandat, ut, *si quis habet aliquid contra illos* (ordinandos), *pro Deo et propter Deum cum fiducia exeat et dicat.* (Pontif. Rom.) Ideo, in pluribus diocesisibus nomina juvenum ordinibus sacris initiandorum, inter missarum solemnias, publicè denuntiantur, sicut matrimonii banna, et quicumque impedimenta ordinationis noverint, ea revelare tenentur; ergo, à fortiori; et qui sciunt sacerdotem aliumve clericum turpiter vivere, aut ad turpia sollicitare, illum manifestare debent.

Hanc sententiam expressè docet S. Thomas, in 4. Sentent., dist. 19, q. 2, art. 3, dicens: *Si autem* (peccatum illud) *est infectivum aliorum, debet denunciari praelato, ut gregi suo caveat.* Pontas, verbo *dénoncer*, cas 5, eamdem tradit doctrinam, quamvis verbo *confesseur*, cas 17, casum simillimum non accuratè solvat; ergo, etc.

Objici potest: 1º superiores ecclesiasticos

sacerdotem sic denuntiatum à ministerio sacro communiter amovere non posse; 2° talem denuntiationem reddere confessionem odiosam; 3° illam complices periculo infamiæ aut vituperationis exponere; 4° complices revelationi huic adeò repugnare, ut sæpè à sacramentis Ecclesiæ præferant recedere; ergo talis denuntiatio prudenter præscribi non potest.

R. Ad 1^m Nego conseq. Quamvis enim sacerdos sic denuntiatus à ministerio sacro statim amoveri aliquandò nequeat, ob murmuraciones, scandala aliaque mala indè secutura, non ideò talis denuntiatio est inutilis: superiores moniti, eum per se aut per alios observant, accersunt, objurgant, increpant, jubent ut ab occasione peccati fugiat, et objectum scandali tollat; eum in alium locum mittunt; eminentiorem curam ei destinatam non conferunt. Si in pravitate suâ obdurescat, alia documenta colligunt, et tandem eum, velut pestem, è sanctuario ignominiosè projiciunt.

Ad 2^m Nego antecedens. Etenim quisquis attentè pensabit quid sentiendum sit, coram Deo, de sacerdote corrupto et corruptore, statim judicabit illum esse dæmonis potiùsquàm Christi ministrum, in ruinam, non verò in sanctificationem animarum positum: facillè ergo comperiet dari præceptum naturale eum denuntiandi, sicut fures et latrones procul dubio denuntiandi sunt ut proximo succurratur: obligatio autem fures et latrones manifestandi non reddit confessionem odiosam; ergo nec obligatio pravum sacerdotem denuntiandi.

Ad 3^m Nego ant. Revelatio quippè tam prudenter fieri potest ut complex non innotescat. Sic ordinariè facienda est: si pœnitens scribere possit, nomen denuntiandi scribat nudum in schedâ: schedam benè oclusam tradat confessario, et confessarius eam ad episcopum aut vicarium generalem mittet, cum epistolâ in quâ factum exponens, dicet quid sibi videatur de sinceritate personæ denuntiantis, cavens ne illam superiori manifestet, ipseque nomen sacerdotis corrupti non exquirat.

At si persona scribere nesciat, hortanda est ut, acceptâ epistolâ confessarii sinceritatem ejus testantis, superiorem adeat et veritatem ei aperiat, se non manifestans, si velit.

Si autem persona existimet hunc modum denuntiandi sibi molestiorem esse, tunc impudicum sacerdotem confessario designare poterit, licentiam concedendo illum manifestandi.

Alius est insuper modus reum soli superiori manifestandi; videlicet complex qui scribere nescit, rogare potest, sub aliquo prætextu, personam scribere scientem, ut nomen talis sacerdotis inscriptum sibi tradat, dicens, v. g., quòd aliquis illud postulet. Tunc chartam plicabit, et obsignatam confessario remittet.

Reus à superiore increpatus, fortè exprobrabit complici se ab eo vel ab eâ fuisse denuntiatum; sed quid est molestia ista? Numquid comparanda est malis ex corruptione sacerdotis orientibus?

Ad 4^m Nego ant. Multi namque ratiocinio, precibus, adhortationibus, religionis et salutis

animarum intuitu, ad revelandas turpitudines sacerdotum corruptorum adducuntur. Aliundè, si valeret ratio hic nobis objecta, sequeretur insipientes fuisse tot pontifices, qui denuntiationem fieri jusserunt.

Confessarius igitur, munere suo rectè fungens, satagere debet ut in luctuosis hisce casibus, denuntiationem prudenti modo faciendam procuret, absolutionem suspendendo vel etiam negando. Si tamen occurrat pœnitens qui nullâ ratione persuaderi possit se ad revelationem teneri, arbitramur illum finaliter absolvendum esse, quandò prudenter judicatur eum esse in bonâ fide: si tunc enim pœnitens non absolveretur, sacramentis privaretur, nec ideò perversi corruptoris manifestatio obtineretur. Tutius est igitur ut confessarius non dicat pœnitenti, eum ad denuntiationem fortiter impellendo, quòd ad eam teneatur sub peccato mortali.

Eâdem obligatione manifestandi sacerdotem corruptum tenentur mulieres et juvenes ad turpia sollicitati, etii omnes qui notitiam hujusmodi infamiarum aliâ viâ quàm per confessionem obtinuerunt.

Similiter sanè, et propter easdem rationes, denuntiandus est sacerdos aliusve clericus qui, per delicta superioribus ignota, hono religionis vel animarum saluti grave nocumentum affert vel allaturus esset.

CAPUT TERTIUM.

DE SPECIEBUS LUXURIE CONSUMMATÆ CONTRA NATURAM.

Luxuria consummata contra naturam est seminis effusio, modo ad generationem non apto, sive extra concubitum, sive in concubitu. Tres illius sunt species, scilicet mollities seu pollutio, sodomia et bestialitas.

ARTICULUS PRIMUS.

De pollutione.

Pollutio, quæ etiam dicitur mollities vel incontinentia secreta, est seminis humani ejectio extra omnem concubitum.

Pollutio dividitur 1° in simplicem et qualificatam; 2° in voluntariam et involuntariam; 3° in voluntariam in se et voluntariam in causâ.

Pollutio simplex ea est quæ aliam malitiam non habet adjunctam, ut si quis, nullo personali vinculo ligatus, in propriâ delectatione suâ sistens, se polluat.

Pollutio verò dicitur qualificata quandò; præter suam malitiam, aliam habet adjunctam, vel ex parte objecti cogitati, vel ex parte polluti, vel ex parte polluentis. 1° Ex parte objecti cogitati, malitiam adulterii, incestus, stupri, sacrilegii, bestialitatis vel sodomie induit, prout se polluens cogitat de conjugatâ, consan-